



Friedrich Vogel

De Origine hemicephali : Dissertatio inauguralis


Parchimii: Typis Zimmermannianis, MDCCCXXVI.


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1008795712>


Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext

RU med. 1826

Vogel, Fr. Lud. Carol.







De
Origine hemicephali.

Dissertatio inauguralis
quam
gratosi medicorum ordinis
auctoritate et consensu
in
Academia Rostochiensi
pro
summis in utraque medicina honoribus rite
capessendis
publico eruditorum examini
submittit
Fr. Lud. Carol. Vogel,
Megapolitanus.



Parchimii
Typis Zimmermannianis MDCCCXXVI.

D 6


Origine hemicephali

Dissertatio inauguralis

per

Paulum Medicum ordinis

Magistratus et Collegii



Faint, illegible text from the reverse side of the page, including words like "exponit", "solutio", "problema", "primus", "secundus", "tertius", "quartus", "quintus", "sextus", "septimus", "octavus", "nonus", "decimus", "undecimus", "duodecimus", "tredecimus", "quattuordecimus", "quintodecimus", "sexdecimus", "septendecimus", "octodecimus", "nondecimus", "viginti", "viginti et unum", "viginti et duo", "viginti et tres", "viginti et quatuor", "viginti et quinque", "viginti et sex", "viginti et septem", "viginti et octo", "viginti et novem", "triginta", "triginta et unum", "triginta et duo", "triginta et tres", "triginta et quatuor", "triginta et quinque", "triginta et sex", "triginta et septem", "triginta et octo", "triginta et novem", "quadraginta", "quadraginta et unum", "quadraginta et duo", "quadraginta et tres", "quadraginta et quatuor", "quadraginta et quinque", "quadraginta et sex", "quadraginta et septem", "quadraginta et octo", "quadraginta et novem", "quingenta", "quingenta et unum", "quingenta et duo", "quingenta et tres", "quingenta et quatuor", "quingenta et quinque", "quingenta et sex", "quingenta et septem", "quingenta et octo", "quingenta et novem", "sexcenta", "sexcenta et unum", "sexcenta et duo", "sexcenta et tres", "sexcenta et quatuor", "sexcenta et quinque", "sexcenta et sex", "sexcenta et septem", "sexcenta et octo", "sexcenta et novem", "septingenta", "septingenta et unum", "septingenta et duo", "septingenta et tres", "septingenta et quatuor", "septingenta et quinque", "septingenta et sex", "septingenta et septem", "septingenta et octo", "septingenta et novem", "octingenta", "octingenta et unum", "octingenta et duo", "octingenta et tres", "octingenta et quatuor", "octingenta et quinque", "octingenta et sex", "octingenta et septem", "octingenta et octo", "octingenta et novem", "novecenta", "novecenta et unum", "novecenta et duo", "novecenta et tres", "novecenta et quatuor", "novecenta et quinque", "novecenta et sex", "novecenta et septem", "novecenta et octo", "novecenta et novem", "mille".

Praefamen.

In conscribendo hocce opusculo non aliud consilium persecutus sum, quam ut theoriam, qua monstrorum encephalo carentium origo ex hydrocephalo explicatur, defenderem.

Huic scopo satisfactorus, primo ea exposui, quae varii auctores hucusque contra originem monstrorum encephalo carentium protulerunt, ac pro encephali craniique defectu a primo inde formationis tempore disputaverunt; deinde, quibus de causis prima illa opinio adversariorum argumentis non satis refutata, altera vero non satis probata esse videatur; denique eorum mentionem feci, quae primae sententiae maxime faveant.

Virorum eruditorum iudicio hancce opellam submissurus, vereor, ne minus, quam rei gra-

vitas exigit, eorum desideriis satisfecerim, quapropter, lectores benevoli, indulgentiam vestram in dijudicando hocce opusculo imploro.

§. 1.

De monstrorum encephalo carentium origine tres exstant opiniones, quarum prima e causa mechanica externa, secunda ex encephali a primis formationis initiis defectu, tertia ex encephali morbo, hydrocephalo nempe interno, seu hydrope cerebri ortum eorum deducendum existimat.

§. 2.

Theorema primum, ab Hallero ¹⁾ Sandiforto ²⁾ aliisque ³⁾ defensum, jam Soemmeringius ⁴⁾ argumentis validissimis refutavit, quomobrem, Viris eruditis hac de re consentientibus, non est, quod ego adjiciam. Circa alteram ter-

1) De foetu humano septimestri, sine cerebro nato; in opp. anat. pag. 290.

2) Anatomie infantis, cerebro destituti; pag. 63.

3) Meckel Pathol. Anat. Bd. 1. pag. 244.

4) Sam. Thom. Soemmering, Abbildung und Beschreibung, die sich auf dem anatom. Theater zu Cassel befinden. Mainz 178. S. 84.

tiamque theoriam nondum omnes auctores conspirant. Tertiae opinionis, cujus auctor Morgagnius ¹⁾ exstitit, Rossius etiam Kleiniusque, ²⁾ secundae Prochaska, ³⁾ Soemmeringius et Meckelius ⁴⁾ defensores sese professi sunt. Attamen Meckelius ipse fatetur, multis gravibusque argumentis Morgagnii sententiam fulciri.

§. 3.

Prochaska se, ait, dubitare, foetum diutius vivere posse atque excoli, si tanto laboret morbo, qui cerebrum totumque cerebellum destruat; locum cerebri craniique consumti cicatrice posse obduci; foetum bene nutriri, in lucem prodire ac tum quoque haud ambigua vitae signa edere; haec omnia potius, si fieri possint, non brevi ante partum tempore evenire debere, quum in locum cerebri et integumentorum verticis excrescat membrana tenuis, cutis capillatae conti-

1) Epist. anat. XX a 57.

2) Monstror. aceph. histor. pag. 12.

3) Adnotationum academicarum fasciculus tertius.
Prag 1784. l. c. pag. 258 sqq.

4) L. c.

nuatio, quae partem capitis destructam quasi in cicatricem contrahat atque tegat. Sibi persuasum esse dicit, cerebri et cerebelli conformationem a primordiis inde impediri, quam sententiam eo plus probabilitatis adipisci asserit, quod, si phalanx, aut digitus, aut extrema quaedam corporis pars, aut totum caput desit, hasce partes non gangraena destructas, sed naturam in iis excolendis inhibitam esse dicamus; attamen hydrocephalo totum encephalum, medullamque spinalem corrumpi ac destrui, cerebrumque in hydatides et materiem fungosam, more aliarum corporis partium, per morbum transmutari posse, largitur.

§ 4.

Soemmeringius primus imaginationis maternae efficaciam circa foetum, deinde monstrorum encephalo carentium originem e causis mechanicis externis negavit. Quibus refutatis, haud magis, inquit, Morgagnii theoria verisimilitudini accedit, quae praeterea a nullo hactenus auctore talis embryonis hydrocephalici observatione confirmata est. ¹⁾

1) L. c. §. 85.

§. 5.

Meckelius, ¹⁾ originem monstrorum encephalo carentium ex hydrope infitatus, faciem eorum angustam, maxillam inferiorem compressam, arctam prominentemque dicit, quae si hydrocephalus adsit, pressu e cavo cranii exorto, in rectam fere lineam extendi debeat, (quod in hydrocephalicis semper observatur.) Angustam, ait, totius faciei effigiem cum embryonis primam evolutionis periodum agentis effigie plane conspirare; plicas primitivas in ovo incubato post horam tricesimam ab incubationis initio ea in parte, qua caput oritur, nondum junctas, vesiculas denique aquae plenas et granula, quae cerebri loco haud raro inveniuntur, hujusque organi formationem apud animantium ordines luculenter nobis manifestant, tot ac tanta exhibere argumenta, quae primo formationis tempore encephali evolutionem jam praepediri testentur, ut vix gravioribus illa opinio possit probari, quae, encephalum hisce monstris a primo formationis exordio defuisse, aut inter evolutio-

1) L. c. pag. 259.

nem adeo esse inhibitum, ut nullo unquam tempore normae congrueret, evincere studet.

§. 6.

Habes jam, lector benevole, relationem eorum historicam, quae hucusque a variis scriptoribus contra monstrorum illorum ex hydrocephalo originem, ac pro defectu encephali inde a primo formationis tempore prolata sunt; num ea probent, quae scriptores probare voluerunt, breviter nunc disquiram.

§. 7.

Prochaskae et Soemmeringii argumentum: tali encephali destructione vitam embryonis debere extingui, jam a Meckelio ¹⁾ rejectum est, quippe qui jure meritoque contendit, inter prima formationis exordia talem encephali destructionem non secus ac encephali defectum a primordiis inde perferri. Tum temporis enim nulla organa perfectionis fastigium assecuta sunt, sed totus embryo in eo est, ut evolvatur; quum

1) L. c. pag. 255.

nulla igitur pars rite sit absoluta, unius in alteram efficacia nondum viget, quibus fit, ut unum alterumve organon absque detrimento alterius, aut totius corporis ab evolutione possit arceri, aut morbo aliquo infestari, aut destrui. Recte autem Prochaska monet, hoc non nisi inter prima formationis initia contingere posse, quum in locum integumentorum destructorum nova succedat membrana, quae cranii basin, et si quid encephali remanserit, tegat; eo tantum tempore tunica illa potuit formari, quo embryo principia evolutionis ageret, summaque vi plastica polleret, quae, quae destructa essent, e parte saltem reparari possent.

Alterum Prochaskae ¹⁾ argumentum: non alias partes, si deficient, gangraena destructas dici etc. nihil omnino Morgagnii theoriae obest, longe enim alia horum monstrorum ratio est, ac illorum, quae encephalo destituuntur. Ubi enim phalanx, aut digitus, aut totus artus desunt, cutis tamen locum mutilum tegit, nulla destructionis vestigia reperiuntur, sed omnia,

1) L. c.

excepto partium illarum defectu, ad naturae normam respondere videntur, nullaque, ut paucis dicam, indicia prostant, quibus destructio partium earum per gangraenam possit probari.

§. 8.

Soemmeringii argumentum: a nullo hactenus auctore istiusmodi embryonem hydrocephalicum esse observatum, jam infractum est; servatur enim museo anatomico Berolinensi talis embryo, de quo infra prolixius agam.

§. 9.

Angusta omnium horum monstrorum facies et maxilla inferior compressa prominensque, tum demum originem eorum ex hydrocephalo in dubium vocare posset, si de hydrocephalo embryonis ageretur, eam formationis periodum transigentis, in qua ossa jam condita sunt. Tum quidem, pressu e cavo cranii exorto, ossa a se invicem diducta et latera versus expansa, latiorrem exhiberent ambitum, maxilla inferior, in rectam fere lineam extensa, eandem protenderet formam: quum vero primis post conceptionem

hebdomadibus nulla ossa sint formata, hydrocephali pressus ipsam faciei evolutionem praeceperet; unum faciei latus ab altero non nisi tam diu potuit diduci, maxillaque inferior in rectam lineam expandi, quam pressus mechanicus persisteret, postquam vero integumenta rupta sunt, et aqua effluxit et pressus desiit, partes antea expansae collabuntur, alterum faciei latus alteri propius fertur, maxilla inferior pristinam figuram exuit, eoque magis arcta et compressa apparet, quo angustius spatium faciei partes, impedita evolutione, nunc amplectuntur. Hoc igitur Meckelii argumentum sententiae Morgagnii nequiquam adversatur, sed aequè pro hydrocephalo, ac pro encephali a primordiis defectu disputat.

§. 10.

Num haec ita sint, si vesiculas aquae plenas granulaque, encephali loco haud raro inventa, respicimus, quae Meckelius ad sententiam suam probandam maximi momenti esse existimat, equidem dirimere non ausim, praesertim quum encephali in animalium ordinibus evolu-

tio, cerebrique hydrope prorsus corrupti structura nondum propriis observationibus mihi satis innotuerit. Quum autem sententiae summorum virorum, v. c. Morgagnii ¹⁾ Meckeliquae circa hanc rem ita inter se differant, ut alter eorum vesiculas pro congerie hydatidea, et substantiam granulosa pro vitio per hydropem inducto, alter vero pro encephalo parum evoluto habeat, minus forsitan, quam primo obtuitu credas, utraque sententia distat, quippe quae ita conciliari posse videtur, ut tam encephali evolutionem praepeditam quam hydatides exortas esse arbitremur. Substantia enim granulosa, quae interdum deprehenditur, encephali non ex toto corrupti atque destructi reliquias exhibet, quarum vero evolutio ob reliqui encephali destructionem adeo inhibita est, ut in eo conformationis gradu, quem tenuerunt, quum encephalum hydrope corrumperetur, remaneret. Hoc igitur in exemplo inhibita encephali evolutio ab ejus destructione pendet. Visiculae vero, aqua plenae,

1) De sedib. et caus. morborem; ep. XVI. p. et 6.

quantumvis gangliorum formationem in animalium ordinibus commonefaciant, non minus hydropem, hydatidibus conspicuum, contestantur.

§. 11.

Superest, ut Meckelii argumentum aestimemus, quo cranii encephalique a primordio defectum comprobare molitur: plicas primitivas ¹⁾ in ovo incubato post horam tricesimam ab incubationis initio, ea in parte, qua caput oritur, nondum junctas esse. Num cranii encephalique defectus iisdem legibus, quibus interdum abdominis ac thoracis viscera extra sua cava reperiuntur, explicari possit, dubito; encephalum enim non extra cavum suum, uti illa viscera, formatur; viscera abdominis atque thoracis prius formantur, quam sua cava, encephalum vero post plicarum primitivarum unionem, earumque ad partes internas conversionem, instar vesicularum evolvi incipit; praeterea partes, quae

1) Pander: Beiträge zur Entwickelungs-Geschichte des Säugethens im Ey; Würzburg 1817. fol. p. g. hoc nomine eas designavit.

circa horam tricesimam post incubationis initium, nondum junctae apparent, non verticem, sed postquam ad internas partes conversae sunt, cranii basin constituunt, quamobrem, nisi jungantur, aut ad internas partes convertantur, nullum caput, aut si tamen conversio ad partes internas evenit, fissura basis cranii exoritur. Haec rei ratio mihi esse videtur, verumtamen a veritate me aberrare potuisse, non diffiteor.

§. 12.

Quodsi, quae hactenus proposui, satis demonstrare confido, sententiam illam, qua monstrorum encephalo carentium origo ex hydrocephalo praegresso explicatur, multum probabilitatis prae se ferre, fore spero, ut insequentia non solum hancce probabilitatem adaugeant, verum etiam rem tanta in luce ponant, ut omnes dubitationes profligentur; etenim monstrorum illorum tam habitus externus, quam exploratio anatomica et evolutio ipsa, gravissima argumenta suppeditant.

1) Partes orbitales ossium frontaliū, uti in hydrocephalicis, semper perpendicularem fere positum tenent, quod ex hydropis pressu a parte superiori atque cranii cavo explicatur; hinc oculi semper prominent, quippe qui, quum partes orbitales deprimantur, aliquantum ex orbitis protruduntur, mox vero, ruptis encephali integumentis et ad marginem orbitalem usque destructis, postquam cranii fornix omnino evanuit, maxime promineant necesse est. Cranii ad marginem usque orbitalem defectus ex eo scaturit, quod encephali integumenta primum per hydrocephalum extenduntur, deinde rumpuntur, quod ruptis integumentis, compagine ossea nondum munitis, tota cranii fornix collabitur, ac integumenta membranacea, quorum nutritio magnam ob expansionem jam praepediebatur, post rupturam et collapsum minus quam antea nutriuntur, et vel ex toto, vel ex parte disparent. Quae si evanuerunt, aut ex parte remanserunt, crines circa eorum ambitum in ea cutis cranium tegentis parte succrescunt, cujus formatio ad normam respondet.

2) Alae magnae ossis sphoenoidei et rudimenta partis squamosae ossis temporum, quae nonnunquam adsunt, cum basi cranii faciem semper fere rectam constituunt, ita ut hydrope depressa videantur.

3) Interdum quoque hydrorachitis hisce in monstris reperitur; proinde medullam spinalem eodem vitio, quo encephalum, corruptam videmus. Quodsi hydrorachitis prostat, deformitatem longe majorem, spinam bifidam, cutemque columnae vertebrali subductam animadvertimus. Inter primas enim conformationis hebdomadas, quemadmodum capitis, ita quoque trunci evolutio impedita, neque collum formatum est, quapropter mentum, pectori insidens, reperitur. Ob magnum pondus, quod superiorem et posteriorem corporis partem aggravat, faciei evolutio ita praepeditur, ut cum anteriori corporis parte non rectam exhibeat superficiem, sed versus superiorem partem spectet, auriumque situs transversus evadat. Hujusmodi monstrum notatu dignissimum in Museo anatomico Bero-

linensi prostat: in foetu, encephalo carente, monophthalmo, spinae bifidae obnoxio, ea animadvertitur deformitas, ut crines, deficientis calvariae locum circumdantes, tergum obsideant, mentum summus faciei locus sit, nasus ad dorsum deflectatur, et a mento facies paulatim in tergum abeat.

Spinam bifidam quandoque adesse, cutisque structuram nihilosecius normae congruere, theoriae huic non obstat; etenim si hydrorachitis non tantum gradum assecuta est, ut membrana, aquam continens, cum encephali tegmentis simul rumpatur, sed encephali integumenta prius lacerentur, aqua per hanc aperturam e columna vertebrali profundi, columna bipartita residere cuteque normali contegi potest.

4) Nervi encephali laticem aquosum interdum continent, nec raro sacculi integri aut rupti juxta totam spinae vertebralis longitudinem deprehenduntur. 4)

1) Meckel l. c. 256.

5) Eximia omnium horum monstrorum similitudo, nec non aliarum deformitatum praesentia, v. g. capsularum suprarenalium parvitas, summo quidem jure a Soemmeringio proferri potuerunt, ad refutandam illorum monstrorum e causa mechanica externa originem, Morgagnii vero argumentationes neutiquam repugnant, sed ex eadem optime possunt explicari. Causa enim omnium horum monstrorum communis est hydrocephalus. Quum igitur causa semper eadem sit, idem quoque effectus provenire debet, gradu tantum hydrocephali praecedentis diversus. Capsularum suprarenalium ac encephali evolutio aequabili incedit passu, quodsi haec, etiam illa praepeditur, acephalis aut desunt capsulae suprarenales, aut perexiguae reperiuntur. Ubi igitur foetus inter primas evolutionis hebdomades hydrocephalo subigitur, encephalique evolutio impeditur, ac id ipsum, ruptis integumentis, plane destruitur, capsulae suprarenales, consensu inter has et encephalum nondum satis explicato, justam magnitudinem assequi nequeunt. Non minus

igitur hydrocephalum, quam encephali a primordio defectum, observatio illa propugnat. Waglerus ¹⁾ praeterea in homine, per annos septendecim hydrocephalo detento, capsulas suprarenales minimas invenit, e quibus tanto luculentius patet, hydrocephalum eundem in capsulas suprarenales effectum exserere, quem exseri videmus encephalo a primordiis deficiente. Deformitates aliae, quandoque repertae, eidem causae, qua encephalum inter primam evolutionem aegrotavit, originem debere possunt.

§. 13.

Plus hisce omnibus tres embryones monstrosi, in Museo anatomico Berolinensi asservati, ad commonstrandam monstrorum, encephalo carentium, ex hydrocephalo originem, conferunt.

Primus embryonum, hebdomadam sex, ovi velamentis indutus, funiculo umbilicali jam adhaeret; encephalum totum, hydrope vitiatum,

1) Meckel l. c. pag. 258.

in vesicam, aquae plenam, pellucidam adeoque
tensam, ut rupturam minitetur, commutatum
cernitur. Vesica ad marginem usque orbitalem
anterioris capitis partis, imo ad eum usque lo-
cum porrigitur, quo ossis occipitalis media pars,
foetu ad normam evoluto, apparet; nulla ossi-
um cranii vestigia in conspectum prodeunt, sed
totum calvariae lacunar nonnisi tenui formatur
membrana. Alter embryonum, quatuor men-
sium *), monstrum evidentissimum, encephalo
destitutum, offert; facies est angusta, maxilla
inferior compressa prominet, cranii fornix ex
toto deficit, integumentorum ruptorum vestigia
in anteriore et superiore capitis parte etiamnum
cernuntur, collum ceteroquin rite evolutum
comparat, spina bifida desideratur, venter in-
fimus in saccum, paulo compressum, est muta-
tus, partes extremae brevissimae, superiores re-
curvatae, inferiores retractae, dextra manus sep-
tem, sinistra sex digitis munita reperitur.

*) Haec musei anatomici catalogus tradit, licet em-
bryo perexignus sit.

Embryo primus, encephalum inter evolutionis exordia hydrope posse corrumpi, quod Soemmeringius dubitat, revera testatur; vesica enim adeo est extensa, ut, nisi hoc ipso tempore abortus incidisset, paulo post ruptura ejus citra dubium evenisset, monstrumque encephalo destitutum prodiisset. Quum embryo, ut delinearetur, e vitro, quo clausus erat, depromeretur, vesica ad posteriorem capitis partem ita delapsa est ut tota monstri, encephalo carentis, facies appareret; mox autem vesica in pristinum rediit situm, rarissimusque iste embryo integer in Museo servatur. Quum aqua, huic insidens vesicae, nonnisi mediam occipitis partem attingat, collum rite formatum appareat ac spina bifida cum hydrorhachitide absit, vesicae ruptura nonnisi exiguum monstrositatis gradum effecisset, eum scilicet, quo occipitis pars inferior conformata capillisque tecta invenitur, cujus in Museo anatomico etiam exemplar exstat.

Embryo secundus monstrum perfectum, encephalo carens, offert, ruptorumque cranii teg-

mentorū vestigia in anteriore ac superiore capitis parte ostendit.

Embryo tertius, et ipse quatuor mensium, inter embryones modo descriptos medium tenet locum: os frontis, occipitis et ossa bregmatis imperfecte sunt exculsa; cutis cum dura meninge in saccum, magnitudinem nucis juglandis aequantem cerebrumque hydropticum continentem, expansa, cutis in superiore sacci herniosi parte disrupta, dura autem meningis incolumis est; labium praeterea leporinum palatumque fissum observantur. Horum igitur embryonum primus hydrocephalum manifestum, tertius hydrocephalum, qui in eo est, ut rumpatur, secundus autem ruptum, vestigia tamen ruptorum integumentorum referentem, exhibet. — Hisce exemplaribus alia, in Museo anatomico servata, adjiciuntur, quibus sacci membranacei disrupti a capite super dorsum dependent.

§. 14.

Quo maturius encephalum hydrope vitatur,

eo facilius integumentorum ruptura evenit, eo-
que major monstrositatis gradus evolvitur.
Quodsi hydrocephalus eo tempore nascitur, quo
tegumenta crassiorem structuram jam conquisi-
verunt atque ossescere coeperunt, non destruc-
tio quidem totius cranii lacunaris accidit, sed
encephalum, (si adest hydrops cerebri) cum
dura meninge cranii cavo expellitur; sin hydro-
cephalus internus (quem auctores dicunt) exstat,
encephalum in cranii cavitatem repressum, sac-
cusque herniosus aqua repletus invenitur. Quod-
si primis post conceptionem hebdomadibus hy-
drocephalus fit, semper cerebri hydrops est,
sin tempore seriore, quo encephalum jam soli-
dam obstinuit structuram, ejusque meninges ex-
cultae sunt, aut cerebri hydrops, aut hydroce-
phalus internus apparet. Primo enim confor-
mationis tempore encephalum vesiculæ aquosae
effigiem exhibet, et ad gignendum cerebri hy-
dropem nonnisi evolutione praeternaturali se-
cundum typum alioquin normalem opus est, sin
formatio encephali eo usque est progressa, ut
substantiam solidam offerat, meningesque con-

structae sint, aequae inter meninges, ac in ipsis ventriculis aqua colligi potest. Hujus sententiae veritatem multa contestantur exempla, quibus saccus herniosus, extra cavum cranii situs, vel encephalum aqua extensum, vel meram continebat aquam; quodsi aqua sola ei insidebat, encephalum in cranii cavitatem repressum deprehendebatur.

§. 15.

Monstra igitur hydrocephalica, de quibus Meckelius in capite „Encephalocèle“ uberius disseruit, ad monstra encephalo carentia ita transire videmus, ut hydrocephalus ad ea proferenda primam sistat conditionem. Qui si primo post conceptionem tempore nascitur, tantumque assequitur gradum, ut integumenta encephali rumpantur, monstrum encephalo carens, sin vero serius oboritur, ita ut ossium formatio jam coepta sit, aut si minorem tantummodo adipiscitur gradum, monstrum encephalocèle conspicuum, prodit. Haecce igitur res longe secus sese habet, ac Meckelius tradit, qui inhibita

prima conformatione microcephalam, cerebri
evolutione aliquantum provecta encephalocelen,
illa denique evolutione majorem gradum asse-
cuta, hydrocephalum exquisitum oboriri, per-
suasum habet.

